

10.164 SA S:10

AD PRAEMIORVM
A QVATTVOR ORDINIBVS PROPOSITORVM
PVBLICAM RENVTIATIONEM
QVAE FIET DIE XIV. MENSIS IVNII A. MDCCCXXI

HORA XII

HVIVS ACADEMIAE CIVES
ET QVI EIVS STVDIIS FAVENT

INVITANT

VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR ET SENATVS

DE FABELLIS ANTIQVIS EARVMQVE AD CHRISTIANOS
PROPAGATIONE.

SCRIPSIT

PAVLVS WENDLAND

GOTTINGAE
APVD VANDENHOECK ET RUPRECHT.



Inst. f. Dt. Volkskunde
F. St. Mythenkunde

Sachbez.:

Inv. Nr.:

FRIDERICO LEONI

D. D. D.

VI ID. IULIAS

AUCTOR

WILHELM VON HUMBOLDT

DEUTSCH

IN DER KUNST

UND WISSENSCHAFT

I

Phlegontis Mirabilium initium Goethio ansas dedit ad componendum carmen, cui inscribitur *Die Braut von Korinth*. suo autem arbitrio usus poeta Corinthi illam historiam factam esse fingit; ex fonte enim, quem solum adire poterat, urbis nomen haurire non licebat, cum parte quadam Palatini codicis celeberrimi abscissa initium et Phlegontis libri et huius fabulae perierit. scite autem elegit poeta Corinthum, cum altiores spiritus sumens traditae fabulae argumento multo maiorem vim atque gravitatem tribueret, conectens cum ea christianae continentiae asceticae cum cupidine suum ius obtinente certamen. iam vero feliciter factum est, quod inventa Procli Commentariorum in Platonis rempublicam altera parte recuperatum est totius fabulae summarium, unde supplere licet priorem partem amissam.

Haec igitur sunt eius lineamenta¹⁾: (Philinnion, Demonstrati et Charitonis Amphipolitanorum filia, Philippi Macedonis temporibus nupserat Cratero, sed brevi post nuptias diem supremum obiit. sexto post mortem mense Machatas adulescens Pella Amphipolim venerat et Demonstrati hospitio utebatur. noctu cubiculum eius intravit Philinnion, amorem fassa est, rediit etiam altera nocte²⁾.) hac autem nocte ancilla animadvertens lucernam cubiculi nondum extinctam portae appropinquat, per rimas aspicit puellam apud adulescentem sedentem. exterrita ad matrem festinat, cui frustra persuadere studet, ut se sequatur. tandem Charito obsequitur, at tanto spatio intermisso iam dormientem puellam

1) Quae ex Proclo (II p. 116 Kroll) supplevi cancellis inclusi. Phlegontem edidit post alios O. Keller, Rerum naturalium scriptores I, Lipsiae 1867 p. 57 ss. optime de hac fabula meritis est E. Rohde (Kleine Schriften II 173 ss.), qui primus Phlegontem cum Proclo accuratius comparavit. De Phlegonte Hadriani liberto v. Diels, Sibyll. Blätter p. 1 ss.

2) Et invita Cratero in matrimonium data et Machatam amasse videtur. Craterum recte conicit Rohdus Alexandri Magni ducem esse.

agnoscere non potest. postridie ab ea imploratus Machatas omnia fatetur, ostendit annulum a Philinnio sibi donatum et cingulum ab ea relictum, quae mirabunda mater agnoscit; pollicetur redeunte puella se parentes certiores facturum esse. revertitur proxima nocte puella, cenat cum Machata, qui ipse quoque rei veritatem explorandi cupidus clam parentes arcessit. filia flebiliter conquesta parentum iniuria ne tertiam quidem noctem sibi concedi moribunda cadit. postero die sepulcrum eius inane invenitur, nisi quod inerant, quae Machatas prima nocte Philinnio donaverat; cadaver iacet in cubiculo et iussu sacerdotis extra pomerium comburitur. Machatas autem ipse sibi mortem consciscit¹⁾.

Consulto una in re a Rohdii sententia discessi, qui statuit non plus duas noctes puellam cum Machata conversatam esse et statim prima nocte ancillam amantes observasse (p. 177¹⁾). qua in re eum errasse facile probari potest. post eam enim noctem, quam Rohdii primam fuisse censet, adulescens matri *τὴν ἀρχὴν διηγῆσατο τῆς εἰσόδου* (Philinnii) et monstravit *τὴν στηθοδεσμίδα, ἣν ἀπολελοῖπει τῇ πρότερον νυκτί* (p. 59, 10. 17). prior nox non potest dicta esse nisi ita, ut distingueretur a posteriore, in qua ancilla amantes deprehendit; contra p. 61, 23 dona *τῇ πρώτῃ* (non *πρότερον*) *τῶν ἡμερῶν* puellae data commemorantur, quia de tribus prima nox significatur. denique in enarranda postrema nocte auctor p. 60, 3—9 ita loquitur de Philinnii consuetudine eadem hora intrandi, uti loqui non poterat, si non plus semel apparuisset: *τῆς ὄρας οὔσης καθ' ἣν ἡ Φιλίννιον εἰώθει παραγίνεσθαι, εἰσελθούσης δὲ κατὰ τὸν εἰθισμένον καιρὸν, οὕτως ἐπιμελῶς παραγιγνομένη κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν²⁾*.

In adumbranda historia non pauca consulto omisi: primum neglecti forma epistulari apud Phlegontem traditam esse hanc fabulam; quod et inde apparet, quod narrat qui ipsis rebus interfuit, quod alloquitur eum cui dat epistulam (62, 20), et ex fine capitis (*ἔρρωσο*). nomina, quae cum initio capitis exciderunt, suppeditat Proclus (116, 15), quo auctore discimus hanc epistulam ab Hipparcho (ad Arridaeam³⁾), scriptam esse, cum ea coniunctam fuisse alteram epistulam Arridaei rem miram Philippo regi referentis; et in fine prioris epistulae nobis traditae Hipparchus monet Arridaeam, ut regi scribat, pollicetur se testes miraculi missurum esse.

1) In fabulis solent qui mortuorum consuetudine utuntur, ipsi quoque mori.

2) Proclus facilius rem augens *πολλὰς ἐφεξῆς νύκτας* (p. 116, 9) commemorare poterat, si ter quam si bis mortua venerat.

3) Qui sit hic Arridaeus, dubitari potest, plures enim noti sunt; v. Rohdium p. 174. 178².

Quorsum haec omnia spectent, facilius cognoscemus, si epistulae partes a me adhuc neglectas examinaverimus. Hipparcho urbis ut videtur praefecto (quem πολιτάρχην Macedones appellare solebant) ilico noctu miraculum nuntiatur, arcet volgus miraculi spectandi cupidum a Demonstrati domo. mane in theatro ecclesia fit. constituunt tandem cives adire sepulcrum. quod postquam vacuum invenerunt, Demonstrati domum visunt, ubi corpus quasi recens mortuae inveniunt. iterum ecclesia fit. civibus attonitis atque consilii inopibus Hyllus vates opitulatur aperiens, qua ratione dei placandi sint.

Haec omnia in enarranda historia omisi, quia fabella olim pulcherrima his additamentis deformata atque turpata videtur, quibus resectis pristinam speciem recuperat¹⁾. haec autem ut a simplicitate atque sinceritate fabulae popularis aliena sunt, ita revera interpolata esse facile intellegemus, si quid consilii sequantur illae partes cognoverimus. cadit et in hanc fabulam, qualem apud Phlegontem legimus, et in alias ab eodem traditas quod Dielsius dicit de collectionibus antiquis historiarum miraculorum et monstrorum plenarum (l. c. p. 22): *Man gewinnt den Eindruck, als sollten die bösen Skeptiker in einer wahren Sintflut von frommen Geschichten und Citaten ersäuft werden, so massenhaft werden die wohlbezeugten Wunder und die eingetroffenen Prophezeiungen aus allen Ländern und Litteraturen herangeschleppt.* id potissimum egit auctor Phlegontis, ut quam maximam fidem adderet historiae mortuae redivivae: volgus noctu rem mirificam extemplo comperit, certior fit Hipparchus magistratus, is iam noctem impendit rei examinandae, quam curare omnino necesse non erat. deliberandi causa ecclesia fit in theatro. ut maiorem testium numerum excitet, auctor facit totam civitatem et sepulcrum et mortuae corpus investigantem. iterum ecclesia fit, gravissimus veritatis testis existit vates, cuius rerum divinarum scientia consulto summis laudibus effertur. denique Hipparchus de miraculo refert Arridaeo, cui missurus est testes oculatos et quem regi referre iubet.

Quorsum haec omnia spectent, Luciani Philopseudes ad irri- sionem portentosarum illarum historiarum totus pertinens docere potest; quo in dialogo homines pii Tychiadem miracula negantem, quia numquam ipse viderit, ad suam sententiam traducere et ad sanitatem mentis revocare student. satura lance fabularum superstitionis plenarum apposita obstrepunt adversario: ἔτι ἀπιστεῖν τοῦτοις,

1) Restituere eam studui in commentatione, cui inscripsi *Antike Geister- und Gespenstergeschichten*, Festschrift der Schles. Ges. für Volkskunde, Breslau 1911 p. 33 ss.

ὁ Τυχιάδης, ἄξιον ἐναργέειν οὐσί καὶ κατὰ τὴν ἡμέραν ἐκάστην φαινομένοις; et ei ταῦτα εἶδες, ὁ Τυχιάδης, οὐκ ἂν ἔτι ἠπίστησας (c. 28. 15 cf. etiam 17 init.). *nihil est, inquit, quod deus efficere non possit*¹⁾. incredulum aiunt stultum et impium esse, qui deos esse neget²⁾. minantur ei deorum iram. — agnoscisne rationes etiam nostra aetate placentes eis, qui quo quis plura et incredibilia credit, eo maioris pietatem et religionem aestimant?

Talibus ab rationibus profectus est Phlegontis auctor, his nisus ineptissimum apparatus testium excitat, ut incredulos credere cogat. his ineptiis et coloribus rhetoricis priscae fabulae pulchritudinem, quae quamquam pannis obsita tamen perlucet³⁾, obscuravit atque obruit. ficticiarum quoque epistularum forma rhetorem prodit, qui hoc artificio usus testes oculatos introducere vellet. hanc formam alienam esse a fabulatione patet; saepius autem tales fabulas in epistulas ficticias intrusas esse exemplis comprobari potest⁴⁾.

Iam de hoc auctore eis nisus quae Rohdus exposuit paulo certiora explorare posse mihi videor. testis nominatur a Proclo p. 115, 7 *Ναυμάχιος ὁ Ἐπειώτης, ἀνὴρ ἐπὶ τῶν ἡμετέρων πάππων γεγονώς*. ad quem auctorem quattuor de mortuis redivivis historiolarum referuntur: 1. Polycriti Aetolarchi (huius fabulae auctores nominaverat Naumachus *Ἰέρωνα τὸν Ἐφέσιον καὶ ἄλλους ἱστορικοὺς Ἀντιγόνην τε τῷ βασιλεῖ καὶ ἄλλοις ἐναντῶν φίλοις ἀποῦσι τὰ συμβέβητα γράψαντας*) 2. 3 duae historiae quas nuper factas esse testatus erat Naumachus. 4 Philinnii fabula iam tractata. iam ut haec quarta, ita etiam prima Naumachii historia plane congruit cum Phlegonte, qui c. 2 ipse quoque Polycriti phasma enarrat auctore Hierone nominato (p. 62, 23); in ea autem re non satis accurate expressit exemplar, quod epistularum formam a Naumachio commemoratam non tenuit. haec autem epistularum forma artis vinculis conecit

1) Verba Ciceronis De div. II 86. huius argumenti, quod etiam christianis scriptoribus in deliciis erat, exempla collegit Brinkmann, Quaestionum de dialogis Platoni falso additis specimen, Diss. Bonnæ 1891 p. 18. 19.

2) Luc. c. 10 Cic. De div. I 33.

3) Admiror castitatem narrationis (v. p. 57, 16. 58, 22. 60, 22), quam priscae potius fabulae quam rhetori tribuerim, et quamquam fateor rem comprobari non posse, tamen ironiam quandam odorari mihi videor, qua prisca fabula utebatur in describendo vate. quam sic restituere conatus sum l. c. (v. p. 7¹⁾): *Und da die Sache ruckbar und niemand daraus klug wurde, trat der Priester Hyllos auf, der sich auf die göttlichen Dinge wohl verstand und etwas galt in seiner Wissenschaft, und er befahl, die Leiche außerhalb der Stadtgrenze zu verbrennen*

4) Exempli gratia affero Milesiam fabulam in Pseudo-Aeschineam Epist. X receptam; v. etiam Rohdium p. 185 et Heinemannum (cf. p. 12³⁾ p. 49 ss.

utramque, Philinnii dico et Polycriti, fabulam. accedit quod teste Naumachio Polycriti fabula eidem fere atque Philinnium aetati tribuebatur et in ea idem testes oculatos proferendi studium agnoscitur. eidem igitur auctori deberi utrumque miraculum, item persimile tertium quod narrat Phlegon c. 3 iam Rohdus recte coniecit. iam quis est ille auctor? Phlegontis auctorem esse Naumachium statuere non licet, quippe quem IV saeculo fuisse probaverit Rohdus¹⁾. nec pendet a Phlegonte Naumachius, quippe qui et noverit alteram de Philinnio epistulam a Phlegonte omissam et accuratiora de Polycritei phasmatis auctoribus tradat. restat, ut uterque eundem auctorem, philosophantem ut mihi quidem videtur rhetorem, ad verbum fere expresserit. quod cum in Phlegonte constet, ne a Naumachio quidem videtur alienum (v. Proclum 329, 7. 8).

Quod autem Rohdus tria illa Phlegontis miracula eiusdem farinae esse censet, comprobatur etiam dicendi genere: I p. 58, 3 ὅτεο δειν²⁾ ἀναστάντας . . . μετ' αὐτῆς πορεύεσθαι II 63, 14 οἱ δὲ δειν ὄντο . . . 64, 27 τινὲς μὲν οὖν ὄντο δειν ἀποδοῦναι²⁾. — I 58, 6 διὰ τινὰ θείαν βούλησιν sim. 59, 2. 60, 27 ἄνευ θείας βουλήσεως III 72, 6 ἔκ τινος θείας ὑποδείξεως. — conferendum porro est quod redivivi et Philinnion et Polycritus de brevi spatio ab dis inferis sibi concesso loquuntur³⁾ quod altera quoque fabula introducit θύτας τε καὶ τερατοσκόπους, quod utrobique, quo plures testes sint, convocatur ecclesia. — denique in omnibus tribus miraculis similia piacula praescribuntur: I 62, 8 τὴν μὲν ἄνθρωπον κατακαίειν ἐκτὸς ὀρίων . . . ἀποτροπιάσασθαι δὲ . . . περικαθαίρεσθαι II 63, 15 ἀπενεγκόντας εἰς τὴν ὑπερορίαν κατακαῦσαι 64, 27 ἀφροσιώσασθαι III 68, 15. 16 κατακαύσαντας θάψαι, καθαροὺν δὲ ποιήσαντας . . . capitis II et III has similitudines addo, quod utrobi-

1) Ideo narrationes 2. 3, quas prope sua aetate factas esse dicit Naumachius, deesse apud Phlegontem consentaneum, est. — etiam hoc probabiliter statuit Rohdus, Naumachium Procli auctorem esse eundem atque medicum et poetam; de poetae aetate minus recte iudicavit T. Mommsen, Beiträge zu der Lehre von den griechischen Präpositionen, Berlin 1895 p. 203 s.

2) Haud recte ἐφέεται coniecit Nauckius.

3) Polycritus resurrexit <πέλας> τοὺς κνριέοντας τῶν κατὰ γῆν II, 63, 27 sim. 64, 22 ss. οὐ γὰρ ἐνδέχεται μοι πλείονα μηκύνειν χρόνον διὰ τοὺς κατὰ γῆν ὑπάρχοντας δεσπότας. Philinnion ait I 60, 27: οὐ γὰρ ἄνευ θείας βουλήσεως ἦλθον ἐνταῦθα. quod Proclus 116, 10 ita repetit, ut magis concinat cum altero Phlegontis capite: προειποῦσαν ἡκατὰ βούλησιν τῶν ὑποχθονίων δαιμόνων αὐτῆ ταῦτα πεπερᾶχθαι, similiter Proclus in tertia illa Naumachii historia refert dixisse redivivum ὅτι ὑπὸ τῶν χθονίων ἀναπεμφθεῖη θεῶν (cf. Phlegontem 62, 12. 13).

bique mortui loquuntur λεπτή τῆ φωνῆ (63. 23 et 68, 2) et caput a corpore abscissum vaticinatur (65; 21 et 72, 17).

Auctor omnium trium capitum senescentem quodammodo linguam locutionibus e poesi haustis redintegrare studet Peripateticorum illorum similes, qui cum poetis certantes historiam dramatis instar scribunt; non raro Nicolai Damasceni, quem nuper legeram, Iosephi quoque memineram legens haec miracula. aetatis hellenisticae eiusque labentis non desunt vestigia velut εἰδῆσαι 58, 18. 60, 4. 15. 61, 13, ὁλοκος 59, 15, periphraseis ἐκπλαγῆ γενόμενον 58, 8 sim. 60, 18, praepositionales τὸ μὲν πρῶτον . . . μετὰ μικρὸν δὲ . . . τὰ δὲ ἔσχατα 58, 8 ss., κατ' οὐδένα τρόπον 58, 25, διὰ ταχέων (hoc iam Thucydides adhibet) 68, 11, ἐξ εὐμαροῦς 67, 18, ἀπελύθη discessit 60, 1 (cf. 59, 4), σῶμα persona 62, 21, προσηγγέλη 61, 7¹), bicompositum διακατέσχον 61, 7, genitivus infinitivi liberrime adhibitus 63, 28 παρακαλῶ . . . τοῦ μὴ ταράττεσθαι.

Ad Philinnium redeo. nomina Arridaei, Hipparchi, fortasse etiam Crateri falsarius ille epistolographus addidit. cetera tradita videtur invenisse. nec probari potest falsarium finxisse fabulam in Macedonia factam esse. gravi enim argumento effici videtur iam ante interpolatoris operam fabulam ut Macedonicam percrebruisse. singularis enim quidam sepeliendi mos traditur p. 61, 15 ss.: in fornice (καμάρα) ponuntur κλίνας, in quibus iacent mortui. recte hic mos animadversione dignus esse videbatur iam Rohdio²), qui non modo comparavit Xenophontem Ephesium III 7, 4, sed etiam similia sepulcra in Macedonia inventa esse adnotavit. iam vero archaeologi probaverunt hanc sepulturam a Graecis discrepantem, hellenistica aetate Alexandriam translata in Macedonia saepe inveniri; quam significari a Pausania Alexandrum Magnum sepultum esse νόμῳ τῷ Μακδόνων narrante nuper probavit Otto Rubensohn³). cuius ex commentatione frugis plena haec decerpo: *In Alexandria taucht in frühptolemaeischer Zeit ein Grabtypus auf, der aegyptischem Ritus völlig fremd ist. Das ist das Kammergrab mit Kline . . . Makedonien muß auch als eine Heimstätte dieses Grabtypus bezeichnet werden . . . In Makedonien sind bei Palatitza, bei Pella und Pydna solche Kammergräber mit Totenbetten erhalten . . .*

1) Mutare necesse non est (v. Mayser, Grammatik der griech. Papyri aus der Ptolemäerzeit p. 381), quamquam 69, 5 διαγγελθέντος legitur.

2) Roman² 419, 2: *So liegen . . . die Leichen in der καμάρα offen auf unbedeckten κλίνας.*

3) Das Grab Alexanders des Großen in Memphis, Extrait du Bull. de la Société archéol. d'Alexandrie 1910 No. 12. Rohdii exempla fugisse videntur Rubensohnium.

Die angeführten Gräber stammen fast alle aus dem vierten Jahrhundert.

Hoc igitur more Macedonico nisus censeo iam vetustissimam Phlegontis historiae formam, quam quidem nobis recuperare liceat, traditam esse ut Macedonicam. nec vereor ne peritus iudex mihi obiciat posse totam hanc, in qua describitur sepulcrum, partem a falsario additam esse. artioribus enim vinculis haec pars cum tota historia coniuncta et elegantior est, quam quae inveniri potuerit ab inepto interpolatore; quem antiquariis studiis incubuisse, ut cognosceret mores Macedonum, veri dissimile est. hoc solum novavit quod magistratus et cives sepulcrum adeuntes et explorantes fecit, cum in prisca historia propinquos perscrutatos esse camaram verisimile videatur. et miro casu factum est, ut Proclus, quamquam eundem textum quem nos habemus legebat, restitueret, quod decebat et consentaneum erat (116, 12): τὸν πρότερον ἀντὶς δεξιόμενον τὸ σῶμα τόπον ἀνορυχθέντα κενὸν ὁφθῆναι τοῖς οἰκεῖοις ἐπὶ αὐτὸν ἐλθούσιν δι' ἀπιστίαν τῶν γεγονότων. idem graecum sepeliendi modum pro Macedonico posuit.

Denique ne hoc quidem praeteream Proclum in adumbranda historia illa omnia ea omisisse, quae interpolata esse ostendi, in eandem formam me ipsum iam antequam causam et historiam interpolationum pervestigarem, redegisse hanc narrationem, ut cum aliis lectitata delectaret amicos.

Similia autem fata habuerunt etiam aliae fabulae, quae dici solent Romanenses. velut Apulei Amor et Psyche referenda est ad fabulam popularem, quae deinceps mutata est in elegantissimam novellam hellenisticam, depravata rhetorum ampullis et allegoristarum ineptiis. qualem deformatam Apuleius praebet fabulam, non satis digna est, quae laudibus paulo severioris iudicis tollatur; at senserunt artifices in tanto situ atque inlucie genuinam pulchritudinem, restituere studuerunt philologi recentiores. οἷον ἐκ δακέων ὁ γέρον ἐπιγοννίδα φαίνει, hoc saepe experiuntur philologi.

II

Nemo ignorat lepidissimam quae narratur de Antiochi novercae amore inflammati historiam, quae tam similiter a Luciano (De dea Syria 17. 18), Appiano (Syr. 59—61), Plutarcho (Demetrius 38 cf. etiam Val. Max. V 7 ext. 1; Rohde, Roman² p. 55 ss.) narratur, ut appareat iam prioribus hellenisticae aetatis saeculis eam pervulgatam fuisse, neque Droysenus de fide eius dubitat: deperit Antiochus novercam suam, patris Seleuci uxorem, et amore quem celat

Landau's Quellen.
118.

aeger in morbum incidit. medicus sapientissimus amoris signa agnoscit; at nesciens cuius amore marcescat, dolo usus reginam amari explorat¹⁾; altero dolo Seleucum commovet, ut filio cedat uxore. primum enim fingit medicus suam uxorem ab adolescente amari, tum regi imploranti, ut cedat uxore, veritatem aperit.

Haec fabula transiit ad rhetorum scholas et declamationes, quas luxuriasse tyrannidii, latrocinii, adulterii, lupanaris, incesti argumentis scimus. testis est Senecae *Controversiarum* l. VI 7²⁾, cuius libri nihil nisi excerpta nos tenere doleo; nam si totum manibus teneremus, accuratius quomodo antiqua illa fabula quasi modo facta narrata, repetita, coloribus exornata fuerit, cognosceremus. ex hypothesi igitur et e frustulis declamationum haec recuperatur historiola: qui habebat duos filios, priore mortua alteram uxorem ducit, quam ab uno e filiis suis amari nesciebat. iam saucius amore filius morbo implicatur. medici animi vitium causam morbi agnoscunt. stricto gladio pater a filio postulat, ut aegritudinis causam sibi aperiat. filius novercae amorem fatetur. patrem miseret aegri, simul paenitet, se nescium eripuisse filio amatam et uxore cedit. — En pleraque communia cum Antiochi historia, novercae amans filius castus et pudicus, pater satis benignus, medicorum sapientia. hoc unum ineptius mutatum est, quod, cum in vetustiore fabula medicus dolo eliciat secretum, pater minas adhibet. accedit quod Aristaenetus *epist.* I 13 narrationem illam hellenisticam mutatis tantum personarum nominibus repetit, etiam medicum eodem dolo utentem facit, cum simulat suam uxorem a filio amari³⁾. confirmatur igitur quod testatur Suetonius (*De rhet.* 1): *veteres controversiae aut ex historiis trahebantur . . . et invenitur haec historia in Valerii Maximi libro (v. p. 11), qui rhetoribus exempla historica suppeditare sibi proposuit.*

Nolo exponere qua ratione ludi rhetorici alumni, cum fingunt patrem ab altero filio dementiae accusari, rei et accusatoris partes

1) Quae observat in adolescente medicus intrante regina signa amoris, non modo Plutarchus coloribus Sapphici carminis depingit, quod ipse testatur (*ἔγινετο τὰ τῆς Σαπφοῦς ἐκεῖνα περὶ αὐτὸν πάντα*), sed etiam Lucianus; qui addendus est testimoniis, quae Iahn-Vahlen ad libri *περὶ ὕψους* c. 10 collegerunt. in rhetorum scholis carmen illud exemplar amoris recte descripti propositum esse conicio.

2) Filii in novercam amor tangitur etiam Quintiliani *Decl.* CCCXXXV, Calpurnii *Decl.* IV (ubi nefas illud ut apud Senecam parricidium appellatur) XXII cf. XLVIII (hic ipsum Senecam respicit).

3) Heinemann, *Epistulae amatoriae quomodo cohaereant cum elegiis Alexandrinis*, *Diss. Argentoratenses* XIV 3 p. 51 ss.

agant, iusti et iniusti rationes, quas fabulatores delectare contenti curare non solent, adhibeant¹⁾. hoc unum animadversione dignum est, quod postremum apud Senecam calumniatur accusator, *omnia inter privignum et novercam composita; simulatum morbum et derisum mimo turpissimo patrem*. hoc enim simulati morbi argumentum in aliis fabellis inveniri infra videbimus.

Ut noverca a privigno, sic multo saepius privignus a noverca amari fertur, calumniis novercae perniciet datur. Hippolyti et Anagyrasii²⁾ adulescentis exempla notissima sunt, commune est hoc argumentum mythorum et fabellarum. similem historiam quasi sua aetate factam ita Apuleius Met. X 2—12 narrat, ut non modo lineamenta fabulae tralaticia, sed etiam colores aliunde sumptos esse facile appareat: amat noverca forma potius quam moribus insignis privignum castum et modestum. ut quod cupit nanciscatur morbum simulat; scit enim vesani amoris et morbi signa persimilia esse³⁾. iam, ut in Antiochi fabula medici sagacitas praedicatur, ita hic medici docti illuduntur, quippe quos fugerit, quod cuius Veneris perito facile apertum sit⁴⁾. — mulier ad se vocari iubet filium, qui matris iusso statim obtemperat. paululum pudet impudicam, tandem fatetur amorem et praestigiis nefas obtegere studet. adulescens probus cauta tergiversatione utitur sperans illam ad sanam mentam redituram esse. at mulier furiosa venenum parat. quod cum pro privigno ipsius mulieris filius forte fortuna bibisset, culpaе utriusque conscia marito redeunti narrat privignum incestum meditatam, sed a se fastiditum esse, tum ut ulcisceretur veneno fratrem necasse.

1) cf. Heinemann p. 52. 53.

2) De quo nuper egerunt Wilamowitz, S. A. B. 1907 p. 11 et Crusius, Sitzungsber. der bayer. Akad., Philos.-philol. und hist. Klasse 1910 p. 51.

3) Hic quoque c. 2 e rhetorum praeceptis amoris signa describuntur, sed Sapphici carminis imitatio vix statuenda est.

4) Similiter in Hist. Apollonii c. 18 medici morbi causam non inveniunt. In Palladii Hist. Laus. 38 p. 119 Butler sanctus Euagrius voluptatis terrestri illecebris irretitus morbo profligatur providentia dei in rectam viam eum revocantis. medici stulti morbum non agnoscunt, sancta Melania veram causam explorat. medici antiquitus male christiani erant. Augustinus eos irridet dei miracula in sanandis aegris perpetrata enarrans (De civ. dei XXII 8 ss. cf. Epist. 227), ut etiam nostra aetate sunt, qui prae scientia medica christiana medicorum artem contempnant. non minus inique de medicis in Actis Anastasiae vel Cosmae et Damiani iudicatur. etiam pagani pii haud raro miracula divina medicorum arti vanae opponunt (Aelian. Var. hist. XII 1 et fr. 89), incredulos medicos increpant (cf. Luciani Philopseudem c. 8). alius generis irrisiones in fabulis invenimus: Babrius 75. 120 = Aesopus 168. 78 Halm.

Similiter uxores Protei Bellerophontem, Acasti Peleum, Potipharis uxor Iosephum, in Syntipae fabula (p. 8 ss. Eberhard) mulier regis filium tentant, repudiatae innocentes apud maritos incusant amore in iram mutato¹⁾. quod autem nefariam mulierem dolo simulati morbi utentem facit Apuleius ut adolescentem in lectum adli-
ciat, ne hoc quidem ab huius fabulae auctore fictum esse opinor, quia p. 13 eundem dolum apud Senecam commemorari vidimus²⁾. etiam Veteris Testamenti exemplum comparari potest. legimus enim in II libro Samuelis vel ut rectius inscribitur II Regum 13, Ammonem sororis amore inflammatum morbum simulare et impetrare, ut soror aegrotum visitet. quo dolo usus ei vim facit.

Vidimus fabulas et historiolas, quae volgi ore ferebantur, a rhetoribus retractatas, artificii et lenociniis rhetoricis exornatas esse. hinc migraverunt in ampliores historias fabulares, quarum auctores argumenta illa scholastica delectationis ac varietatis causa inserebant, fabulas fabulis cumulantes. quo factum est, ut novercae in privignum amor et in Apulei Metamorphoseis et in Damidis de Apollonio commentarios (v. Philostr. VI 3) reciperetur, medici sollertia amorem morbi causam aperientis in Heliodori Aethiopicis IV 7 repeteretur. ne christiani quidem antiquas fabellas, quibus adulescentes pudici a lascivis mulieribus temptari narrabantur, spreverunt.

In Prochori Actis Ioannis³⁾ Apuleianae similem fabellam legimus, in qua, si decerpas flosculos christianos, facile agnoscas antiquae historiae lineamenta: Procliana vidua suum filium Sositpatrum temptat. pudicus adulescens eam aspernatur, auscultat Ioannis apostoli sermonibus. is per parabolam adulescenti fata

1) Plura exempla collegit Ilberg in Roscheri lexico III col. 2224 s.

2) In Historiae Apollonii altera recensione c. 18 simulata virginis amore incensae infirmitas ita commemoratur, ut ad conexum narrationis non pertineat. hic Apulei exemplar supra commemoratum adhibitum esse coniecit E Klebs, Die Erzählung von Apollonius, Berlin 1899 p. 288.

3) Acta Ioannis, bearb. von Zahn, Erlangen 1880 p. 158 ss. cf. Lipsius, Die apokryphen Apostelgeschichten I 391 ss. 401. 602, Ergänzungsheft 97. — quod hic pro noverca ipsa mater incesti cupida fingitur (cf. Parthenii c. 17), non multum refert. Parthenius Ovidiusque probant, quam saepe tractata fuerint incesti amoris argumenta. De Oedipodis matrimonio incesto ad alios translato v. Delehaye, Les légendes hagiographiques, Bruxelles 1905 p. 71. 72. — etiam alia in Actis Ioannis inveniuntur hellenisticarum fabularum persimilia, velut quod p. 232 ss. Zahn = Acta II 1 p. 186 ed. Bonnet (cf. Lipsius l. c. I 457 ss.) Callimachus amore Drusianae inflammatus sepulcrum irrupit, ut mortua fruatur (similia colligit Rohde, Roman² 421¹). similes historiae in Moschi Prato c. 78 et in Symeonis Vita c. 31 p. 74 Lietzmann leguntur.

ipsius aperit narrans matrem quandam, cui nomen Ἀπάτη, filium, qui appellatur Μὴ ἀπατώμενος¹⁾, corrumpere conatam esse, spretam filium incusasse, quod sibi vim facere voluisset; adolescentem innocentem damnatum esse, at a deo eum liberatum, matrem punitam esse. frustra Procliana filium ab apostolo abalienare per dolum saepius studet; tandem proconsulem crines vellens implorat et a filio se saepe temptatam esse conqueritur. filius parricidii damnatur, item Ioannes eius corruptor. iam ut apud Apuleium medici prudentia, ita hic Ioannis miraculis mulieris nefariae fraudes aperiuntur.

In deliciis fuerunt etiam christianis de innocentia adolescentium a lascivis mulierculis temptata fabulationes. notissima est Martini historia quam Rabbow egregie tractavit²⁾, Usener poetice retractavit, nuper vertit Lietzmann³⁾: Meretrix quaedam celeberrima Caesareae sponsionem facit se innocentiam Martiniani, pulcherrimi adolescentis, in eremo vitae religiosae incumbentis corrupturam esse. pannis induta vesperi ingruente simul tempestate cellam illius adit, hospitium petit. recepta suis artibus utitur; at non modo spernitur, sed etiam ad melioris vitae frugem revocatur ab asceta. — breviter summarium prioris partis rettuli. iam eadem fabella in Acronis quae feruntur scholiis ad Hor. Serm. II 3, 254 de Xenocrate narratur: *Fuit autem Xenocrates philosophus continentissimus et sobrius, de quo Lais meretrix sponsionem fecerat, quod eum ad suos sollicitare posset concubitus. nocte quadam terrorem finxit et confugit ad eum et quasi necessitate nocte hac cum eo mansit. ille immobilis iacuit, post dum solvere cogeretur sponsionem, respondit: ego de homine, non de statua sponsionem feci.* eadem historia paululum immutata refertur a Diogene Laertio IV 7. quodsi quis rideat philologum talia ad eundem fontem referentem, nescientem similia saepe in vita fieri, accuratius velim ipse conferat: agnoscet eadem lineamenta, eosdem colores, concedet vix fortuito in utraque fabula inveniri sponsionem. facile eadem fabella referri poterat ad complures viros continentiae laude insignes.

Monchhol. n.º 18.

1) In hac allegoria adhibuisse auctorem gnosticam doctrinam, quam suae historiae accommodavit, Odarum Salomonis XXXVIII docet, in qua Ἀπέτης et Ἀπατῶρος nuptiae describuntur.

2) Wiener Studien XVII 253 ss., qui eiusdem argumenti plurima exempla collegit; cf. imprimis Hier. Vita Pauli c. 3. — interdum insidias parat diabolus pulchrae mulieris forma indutus: Hist. Laus. 23 p. 76 Butler; Hist. Aegypti monachorum I 32 p. 13 Preuschen; Moschi Pratum c. 136. cf. Crane, exempla of Jacques de Vitry, London 1890 p. 237.

3) Byzantinische Legenden, Jena 1911 p. 53 ss.

Ut hoc, ita aliud exemplum eiusdem fabellae in profanis et in sacris litteris narratae Rabbowii doctrina mihi suppeditavit. in Apulei Met. III 16 Fotis ancilla de era sua insana virorum libidine incensa miram historiolum narrat. cum adolescentem quendam Boeotium, quem deperibat, in tonstrina praeteriens conspexisset, ab ancilla petivit, ut capillos eius clam auferret¹). a tonsore impedita Fotis dominae iram metuens videt quendam caprinos utres tondentem, crines eorum flavos aufert et dominae, quasi iusso eius obsecuta sit, tradit. ea magiae medicaminibus atque carminibus adhibitis crines adolet. iam magiae vis mira apparet, quam saepe veteres testantur; velut in Vergilii Ecloga VIII magica incantatione vinctus Daphnis protinus ab urbe venit (v. 109) et in Luciani Philopseude c. 14 vix finitae sunt superstitiones devinciendae ac recuperandae puellae adhibitae, cum statim accurrit Chrysis et portam pulsat. — At apud Apuleium rem praeter spem amatricis mulieris evadere consentaneum est; vis enim magica, cum capilli caprini cremati sint, non adolescentem, sed utres, unde crines decerpti sunt, arcessit. *tunc protinus inexpugnabili magicae disciplinae potestate et caeca numinum coactorum violentia illa corpora, quorum fumabant stridentes capilli, spiritum mutuuntur humanum et sentiunt et audiunt et ambulant et, qua nidor suarum ducebat exuviarum, veniunt et pro illo iuvene Boeotio aditum gestientes fores insiliunt.* miramur cur Apuleius spiritum humanum utribus tribuerit; satis enim erat eos quem vivi habuerant, sensum caprinum recuperare, ut ducerentur quo magia exuviis corporum adhibita eos trahebat. itaque Apuleium pro suo more simpliciorum narrationem repudiasse, rem exagerasse suspicamur.

Psalmi n° 150

Psalmi n° 150

Iam praesto est similis historia, quae in Actis Sanctorum (IV Aug. p. 348 CD) narratur in Vita Luani vel Lugidi: mulieres carnali eius amore instigante diabolo inflammatas ab homine quodam petisse, ut sibi sancti viri capillum deferret. cui ille insidiarum non nescius caprinae pellis, cui insidebat, crines tradit. fit quod secundum magiae leges fieri consentaneum erat: advolat pellis ad mulieres. vir autem sanctus iratus locum deserit. — omittitur, quod, ut res intellexeretur, commemorari debebat, amatrices mu-

1) Capilli in incantationibus amatoriis antiquitus suum locum habebant: Eur. Hipp. 513

δει δ' ἐξ ἐκείνου δή τι τοῦ ποδομένου
σημεῖον, ἢ πλόκον τιν' ἢ πέπλων ἄπο
λαβεῖν.

Luciani Dial. meretr. IV 4 δεήσει δέ τι αὐτοῦ τοῦ ἀνδρός εἶναι οἶον ἱμάτια ἢ κρηπίδας ἢ ὀλίγας τῶν τριχῶν ἢ τι τῶν τοιοῦτων. plura collegit Abt, Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten IV 181. 182.

lieres incantamentis amatoriis usas esse. hoc olim suum locum in textu habuisse, deletum esse ab eo, qui nollet mulierum insidiis artem magicam ad virum sanctum pertinere certum videtur¹⁾. at multo audacius retractatorum libido in hac Vita grassata esse videtur. tota enim haec historia lepidissima alii ineptiori et insulsa loco cessit, quam legimus in codicibus quibus nisi editores textum constituerunt. equidem iudico vetustiore esse fabulam, quam diligenter ex alio codice descriptam apparatus inseruerunt editores. origo eius potest referri ad narratiunculam popularem Apuleianae similem; eum qui sancti viri res descripsit ab Apuleio pendere veri plane dissimile est, praesertim cum non desint similes etiam nostratum fabulae²⁾.

Quod p. 14 ex Hebraicis litteris exemplum comparavi nolim ita intellegi, quasi statuerim simulationem illam morbi ex historia Hebraica ad Graecos translata esse. talia enim facile saepius excogitari et fortuito concinere possunt. tamen non desunt argumenta minus simplicia et artificiosius enarrata, quae si apud diversas nationes inveniuntur, ab una ad alteram migrasse verisimilius videtur. exemplis ab aliis tractatis novum mihi videor addere posse, de Aesopi morte fabulam dico, quam fusius enarrat auctor Vitae ab Eberhardo editae (Fabulae rom. p. 297 ss.³⁾): Delphos sapientiam suam minoris aestimantes Aesopus libere castigat. iam veritine in ceteris quoque civitatibus convicia in se conferret, Delphi perniciem ei parant. auream pateram e templo Delphico ablatam in impedimentis eius condunt, in itinere eum tamquam sacrilegum comprehendunt, damnant, perdunt. quamquam alii alia comparaverunt, nulla invenitur historia similior quam quae I Mos. 44 de Iosepho narratur: Iosephus, ut ulciscatur quod fratres commiserant nefas, vilico mandat, ut in sarcinis Beniamini poculum suum argenteum condat⁴⁾. in itinere fratres vilicus consequitur, incusat, quod poculum, e quo dominus bibat et vaticinetur, furati sint,

*Chemmin VII, 196
Göndel, Genesis, 452*

1) Virginem incantatione amatoria devinctam solvi ab Hilarione narrat Hieronymus, Vita Hilarionis c. 21. (*veroff Vitepato 82f*)

2) Abt l. c. 182⁶ fabulas recentiores tangit, in quibus saga per errorem falsos capillos adhibet, citat mulierem pro viro; et similes historiolas satis lepidas variarum nationum collegit R. Köhler, Kleine Schriften II 623.

3) De ceteris testimoniis cf. Hausrath, R.E. VI 1709; H. Weil, Etudes de litt. et de rythmique grecques, Paris 1902 p. 119 ss.; W. Hertz, Gesammelte Abhandlungen, Stuttgart 1905, p. 335 ss., R. Köhler, Kleine Schriften III 228, qui ostenderunt eandem fabulam modo de hoc modo de illo narrari.

4) quod 44, 1 vilicus iubetur etiam pecuniam in sarcinis fratrum ponere, interpolatum hoc esse ex 42, 25 ss. recentiores interpretes recte statuerunt.

furtum in Beniamini pera reperit. — maior videtur haec similitudo, quam quae fortuito facta esse possit. quod non ita intellectum volo, quasi statuum ex libro Mosaico hanc narrationem fluxisse. facile eis fabulis adnumerari potest, quae volgi ore ferebantur et ab alia ad aliam nationem transibant. id etiam inde maiorem verisimilitudinis speciem habet, quod constat in populares libros Aesopicos haud pauca recepta esse ex Achikaris historia et fabulis.

Simile autem argumentum, sive ex Aesopi Vita sive aliunde sumpsit, etiam Lucius, quem sequuntur [Lucianus] c. 41. 42 et Apuleius Met. IX 9. 10, Asino suo inseruit, cum narrat mendicantes sacerdotes auream pateram e sacello auferre et ut sacrilegos in via deprehendi.

Ut christiani, ita iam Iudaei hellenisticae aetatis fabellas graecas in suum usum converterunt, interdum biblicas narrationes ad earum exemplum mutaverunt. Mosis mortem a Iosepho Ant. IV 315 ss. adsimulatam esse graecis de heroibus subito remotis fabulis nuper ostendit Radermacherus¹⁾. quod Artapanus Mosem a Pharaone in vincula coniectum miraculo liberatum esse narrat²⁾, simile est historiis, quas nuper Reitzenstein (Wundererzählungen 120 ss.) tractavit. Iosepho teste (Ant. II 252. 253) Mosis Aethiopum oppidum obsidenti Aethiopum regis filia admirans Mosis virtutem et amore ardens nuntium mittit, per quem iureiurando obstringitur se oppido tradito eam uxorem ducturum esse. prodicione facta Moses fidem non fallit³⁾. persimiles sunt graecae de amore inter puellam et hostium exercitus ducem fabulae, in quibus modo puella amans hosti prodit patriam ut Scylla, Pisidice, Nanis (Tarpeia)⁴⁾, modo amatori duci ea condicione ut pacem faciat puella obsequitur, ut Polycrita⁵⁾, Pieria⁶⁾.

Miram quandam historiam artis rhetoricae coloribus graeco modo exornatam et Philo (Vita Mosis I § 294 ss.) et Iosephus (Ant. IV 126 ss.) vestigiis quibusdam Mosaicae de Bileamo vate et Balako Moabitarum rege historiae insistentes tradunt: postquam Bileamus a deo ne exsecraretur Hebraeos impeditus est, discedens

1) Sophokles' Oedipus auf Kolonos, Berolini 1909 p. 1.

2) Freudenthal, Alexander Polyhistor p. 235, 9 ss.

3) Ad interpretandum versum Num. 12, 1 haec fabula ficta est. cf. J. Weill, Oeuvres complètes de Flavius Iosephus I p. 125, Paris 1900.

4) cf. Rohde p. 45. 88. 103.

5) Arist. fr. 559 Rose, qui Parthenii c. 9 exscribere debebat.

6) Rohde p. 43¹.

suadet Balako, qua ratione damnum Hebraeis possit afferre. pulchritudine, inquit, Midianitarum mulierum capi potest iuventus Hebraea. *ἀνὴρ δ' οὐδενὶ μᾶλλον εὐέλωτος ἢ γυναῖκος εὐμορφία* (Philo § 296). mulieres tuae civitatis iube meretricum modo adire Hebraeos, libidinem acerrime excitare, at sui copiam non facere, priusquam amatores suorum sacrorum participes reddant. iam adulterii legibus sublatis hae insidiae parantur et corrumpuntur multi ex Hebraeis. haec omnia, rhetorum modo cum a Philone tum a Iosepho exornata, afficta sunt Numerorum libro 25, 1 ss., ubi nihil traditur nisi stupra intercessisse inter Israelitas et Moabitas, coluisse Israelitas deos peregrinos; alteram autem huic fabellae fingendae ansam dedit Num. 31, 16 (cf. 24, 14), ubi secundum consilium Bileami Midianitarum mulieres Israelitas movisse dicuntur, ut sui dei cultum desererent. amplior narratio posterioribus scriptoribus et christianis et Hebraeis nota est¹⁾. neque dubito, quin iam in Ioannis Apocalypsi II 14 stupra illa eadem ratione ad Bileamis consilium nefarium referantur²⁾: *ἔχεις ἐκεῖ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Βαλαάμ, ὃς ἐδίδασκεν τῷ Βαλὰκ βαλεῖν σκάνδαλον ἐνώπιον τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, φαρεῖν εἰδωλόθνητα καὶ πορνεῦσαι*.

Potest tota narratio ex locis illis satis obscuris Numerorum libri fluxisse; e quibus iam Wellhausenius iudaicam fabulam non curans similem rerum contextum coniectura effecit³⁾. at possunt etiam ad amplificandam historiam adhibitae esse fabulae de mulieribus totius civitatis publico consilio ea condicione hostibus se prostituentibus⁴⁾, ut obsidione oppidum liberetur, ita adhibitae esse, ut causa prostitutiouis non e fabulis, sed e sacra scriptura repeteretur; in qua agi de sacra fornicatione (cf. Hosea 9, 10, Ieremia 2) cum Baalis cultu coniuncta Wellhausenius me monet. quidquid in re difficillima statuitur, hoc constat graecam artem eroticos affectus describendi in Philone et Iosepho hic agnosci.

1) V. Mangei notam ad Philonem I p. 127; J. Weill, Oeuvres complètes de Flavius Iosephus I p. 247, Paris 1900; Die Werke Philos von Alexandria I 289¹, Breslau 1909. — eadem fabella a Philone De virt. § 34 ss. narratur; at hic Midianitae, non Bileam insidiarum auctores feruntur.

2) Cf. E. Schürer, Theol. Abhandl. Weizsäcker gewidmet, Freiburg 1892 p. 44¹.

3) Die Composition des Hexateuchs³ p. 111. 112.

4) Tales fabulae non paucae ferebantur: [Plut.] Parallela c. 30, W. Hertz l. c. p. 236 ss.

III

Fabulae illius de hominis in asinum mutati fati, quam eundem Lucium secuti Lucianus et ampliore libro Apuleius enarrant, vestigia quaedam vetustiora indagasse mihi videor. haec consentientes narrant Lucianus c. 46—47, Apuleius X 13—16: duo fratres, servi domini ditissimi, qui asinum emerant, alter alterum incusant, quod furtim sportularum, quas de cena domini accipere solebant, partem surripuerit. tandem asinum in suspicionem vocant et per rimas portae vident eum cibis humanis se saginantem. *risu maximo dirumpuntur.* conservorum ad spectaculum advocatorum fit *tantus ac tam liberalis cachinnus*, ut dominus alliciatur. *ipse quoque per idem prospiciens foramen delectatur eximie; ac dehinc risu ipse quoque latissimo adusque intestinorum dolorem redactus* intrat (μέγα ἐν γέλωτι ἀναβοήσας εἰστρέχει εἶσω), cenam opulentam parat, aspectu asini humanis cibis vescentis gaudet. καὶ τις εἶπε· καὶ πλείται οἶνον οὗτος ὁ ὄνος, ἣν τις αὐτῷ ἐγκερασάμενος ἐπιδῶ· καὶ ὁ δεσπότης ἐκέλευσε κἀγὼ τὸ προσενεχθὲν ἔπιον. haec omnia ex eodem fonte hausta similiter narrant.

Iam scena plane eadem in duabus de hominum litteratorum mortibus fabulis apparet. de Philemone comico [Lucianus] in Macrobiis 25: θεασάμενος ὄνον τὰ παρεσκευασμένα αὐτῷ σῦνα κατεσθίοντα ὤρμησε μὲν εἰς γέλωτα, καλέσας δὲ τὸν οἰκέτην καὶ σὺν πολλῶ καὶ ἀθρόῳ γέλωτι εἰπὼν προσδοῦναι τῷ ὄνῳ ἀκράτου βοφεῖν ἀποπνιγείς ὑπὸ τοῦ γέλωτος ἀπέθανε (similiter Val. Max. IX 12 ext. 6 cf. Suid. s. nomine Φιλήμων)¹). eandem mortem tribuit Chrysippo stoico Diog. Laert. VII 185 (et Suidas): ὄνον γὰρ τὰ σῦνα αὐτῷ φαρόντος εἰπόντα τῇ γραῖ διδόναι ἀκράτου ἐπιρροφῆσαι ὑπερμαρχάσαντα τελευτῆσαι.

Quomodo tam mirus Vitarum cum fabula Romanensi consensus explicandus sit, ei dubium esse non potest, qui non ignorat, quanta libidine litterati virorum clarorum mortes insolitas invenerint¹). suum proprium locum habuisse historiam hanc non in Vitis, sed in rebus gestis hominis in asinum transformati apparet; hic enim asinum tam humaniter se gerere consentaneum est, quod illic non intellegitur. itaque qui de mortibus illa finxerunt, ex fabula ampliore sibi notissima pauca decerpserunt. iam hinc aliquid proficimus ad intricatam illam de Lucii fabula et de historia totius huius fabularum generis quaestionem solvendam. constat Diogenem

1) W. Hertz, Die Todesarten griechischer Denker und Dichter, Ges. Abhandl., Stuttgart 1905 p. 312 ss., qui p. 318 Lucii asini immemor haec tangit.

non adisse fontes Nerone recentiores. et in tempora priora nos ducit Valerius Maximus Tiberii imperatoris aetate scribens. et ne hic quidem subsistendum est. apparet enim notissimam fuisse narrationem, quae tam facile vitarum auctoribus in mentem venire et saepius tam inepte adhiberi potuerit. quae si recte disputata sunt, efficitur ne Lucium quidem illum, cuius Metamorphoseon libros legit Photius, primum hominis in asinum mutati casus enarrasse, sed eam fabulam ante Lucium tractatam esse; videtur autem, ut in toto hoc litterarum genere factum est, paulatim brevior historia dilatata et ad ampliorem ambitum redacta esse.

Quam coniecturam forsitan dixerit aliquis ita refutari posse, ut statuatur fabulam popularem in volgi ore versatam, non scriptam fontem esse, unde et biographi et Lucius hauserint. sed quamquam Weinhold¹⁾ exemplis ab alienis nationibus repetitis probabiliter coniecit fuisse etiam apud veteres talem fabulam, tamen imaginem asini humaniter vescentis ad fabulam popularem pertinere probatum non est, neque in fabellis a Weinholdio comparatis invenitur; itaque rectius ad scriptorem historiolum illam accuratius explicantem referri videtur²⁾.

Ne hanc quidem historiam popularem a christianis spreteam esse discimus ex Evangelio infantiae arabico c. 20. 21 p. 190 Tischendorf: adolescens quidam per malas mulierum artes mutatus est in mulum. dolent eum tres sorores, quae mulo sesama obiciunt, oscula dant, pabulum subministrant. frustra magos et incantatores adierunt, dum puer Christus asinum in figuram humanam reformat. — In eiusdem Evangelii c. 19 praecedat de viro narratio, qui uxore modo ducta frui non potest devinctus incantationibus. similis superstitio in multarum nationum et fabulis et ritibus invenitur³⁾.

Alia quoque metamorphosis in Hist. Laus. 17 p. 44 ss. Butler narrata de profanis nos admonet fabulis. Aegyptius quidam frustra conatus uxorem alius corrumpere magi artibus usus eam mutat in equam. ex itinere reversus miratur maritus equam in lecto conspiciens, frustra dolet, alios consulit. et equa per tres dies nec pabulo neque humano cibo vescitur, tandem ad sanctum Macarium

1) S. A. B. 1893 p. 475 ss.

2) Forsitan ad historiam, quam referunt Luc. c. 45 Apul. IX 42 de asino sub tecto per fenestram prospiciente, pertineat etiam Petronii illud proverbialiter dictum c. 63 *asinus in tegulis*.

3) W. Hertz l. c. p. 195 ss. pericula a daemonibus parata in ineundo matrimonio defendenda sunt: Samter, Geburt, Hochzeit und Tod 1911 p. 94. 106. 131 ss. Fehrlé, Die kultische Keuschheit (Religionsgesch. Versuche und Vorarbeiten VI) 40 ss.

Grimm-Belle II ~~112~~
77

Vibry, no 262



ducitur. is negat mulierem mutatam esse, sed arte magica ait effectum esse, ut plerisque equa videretur. aqua nudae mulieri infusa cum precibus oculorum fallaciam tollit, causam aperit, quod mulier quinque hebdomadibus mysteriis non interfuerit.

Ipse Palladius, ut ineunte capite significat, non sine dubitatione quadam tradit, quae acceperat, atque animadvertendum est Macarium sensus fallaciam, non metamorphosin statuere. quantopere autem narrando tales historiae mutatae sint, apparet ex varietate eiusdem prodigii in Hist. Aeg. monach. 28 p. 90 Preuschen enarrati: hic virgo a mago mutatur, equam parentes ad Macarium ducunt; is eam cum parentibus septem dies includit, tum totum eius corpus oleo ungit, precibus reformat in puellam.

Has fabulas ad similitudinem plurimarum illarum metamorphoseon antiquarum fictas esse apparet: in quibus quamquam, nisi quid me fugit, sola Demeter Thelpusa in equam mutatur (Paus. VIII 25, 5), hoc tamen animadvertendum est hippomanes multum valuisse in incantationibus amatoriiis¹⁾ et in heroum fabulis saepe infantes ab equis nutriri²⁾, ut vix dubitari possit quin fuerint harum fabellarum Christianarum exemplaria vetustiora.

Finnispol 182/

Iam de alterius in alterum sexum mutatione agam. nota est fabula de puella, quae ad pellendum vitae periculum Leucippi nomen et pueri vestem gerit, tum a Latona matris precibus obsecuta in adolescentem mutatur. et similia multa collegit Dümmler³⁾. tales autem fabulae plurimum valebant, quia in ritibus symbolica sexus mutatio pervulgata erat⁴⁾. neque igitur mirum est ne christianos quidem a talibus opinionibus alienos esse. S. Perpetua in carcere per ecstasim haec videt: *et exivit quidam contra me Aegyptius foedus specie cum adiutoribus suis pugnaturus mecum. veniunt et ad me adolescentes decori adiutores et fautores mei. et exspoliata sum et facta sum masculus* (graecus textus habet καὶ ἐξεδύθη καὶ ἐγενήθη ἄρσεν)⁵⁾. in formam viri decet eam verti, quae cum daemone init athleticum certamen eis simile, quae in Actis S. Marinae describuntur. virginem autem christianam hoc

1) Cf. Abt p. 166, v. etiam 202^s.

2) Gruppe, Griech. Mythologie 852^s et eiusdem operis locos in Indice 1915 b 7 significatos.

3) Kleine Schriften II 230 s.

4) Cf. praeter Dümmlerum Gruppe p. 904, Samter p. 90 ss.

5) Passio c. 10 (Acta martyrum ed. Gebhardt Berlin 1902 p. 97). Aegyptus solet esse Christianis sedes libidinis, vitiorum, daemonum. *adolescentes decori* apparent etiam Eudemo Aristotelico (fr. 37 Rose), Cleodemo Luciane (Philopseudes c. 25) aliis in somniis cf. Deubner, De incubatione p. 12.

in visione pati inde explicatur, quia talis sexus mutatio et fabulis tradebatur et superstitionibus fieri posse credebatur.

Idem miraculum saepius fit pudicitiae servandae causa. ideo Macarius puellam in adolescentem transformat¹⁾. — at fortes virgines Christianae sciunt etiam ipsae castitatem suam defendere, priscae virtutis exempla exhibentes. Pelagia Antiochensis ut castitatem servet, ipsa se occidit²⁾. in Moschi Prato c. 60 fertur virgo solitaria impia libidine incendisse adolescentem quendam; qui interrogatus quidnam pulchri invenerit in puella, oculis eius se in amorem inductum esse respondet. iam virgo pectine textorio oculos eruit et abicit. quo facto et suam castitatem servat et adolescentem ad vitam piam monachorum traducit³⁾. — scimus a christianis multum de periculis castitatis disputatum esse. velut Augustino teste (De civ. dei I 16 ss.) quaerebatur, laedaturne castitas stupro per vim virginibus sanctimonialibus illato, rectene faciat virgo, quae in tali periculo ipsa se occidat. iam ut pagani mulierum virtutes propriis libellis enarrarant, ita christiani exempla muliebris virtutis colligebant, velut Palladius appendicis loco mulierum praeconia historiae Lausiaca addit.

Münchenster n° 66

Comparari potest quod de virgine anonyma modo e Moschi Prato repetivimus cum antiquiore exemplo. modo Zeno Eleata, modo Leaena, modo Pythagorea Timucha in tormentis cruciata linguam dentibus praecisam tyranno obiecissee fertur⁴⁾. — item Hieronymus (Vita Pauli 3) martyrem meretrici sibi immissae et osculanti linguam evomentem facit, et idem de aliis martyribus narrari ostendit Hippolytus Delehaye (l. c. p. 40). saepius virginum in lupanari locatarum pudicitia intacta manet⁵⁾.

De Decii persecutione refert Hieronymus, Vita Pauli 3: *perseverantem in fide martyrem . . . iussit melle perungi et sub ardentissimo sole religatis manibus post tergum reponi scilicet ut muscarum aculeis cederet.* Similia Sozomenus H. e. V 10 praebet de Marci

1) Hoc invenitur in deteriore recensione Rufini versionis Hist. Aeg. monach.: v. Butler, Texts and Studies VI 1 p. 195. — multae mulieres vestem virilem induunt, ut in monasterium recipiantur: Delehaye l. c. p. 71. 224 ss.

2) Cf. Usener, Legenden der Pelagia p. VIII, Delehaye l. c. 226. 227, Geffcken, Hermes XLV. 504³.

3) Quam celebris haec historia medio aevo fuerit, ostendit Crane, Exempla of Jacques de Vitry, London 1890 p. 158.

4) Wachsmuth, Berichte der sächs. Ges. der Wiss., Phil.-hist. Kl. VIII 132. W. Hertz l. c. p. 345. 346. idem de aliis refert Theodoretus, Graec. aff. curatio VIII 57. 58.

5) Andreae Virtutes c. 26 (cf. Lipsius I 560); Hist. Laus. c. 65 p. 160 ss cf. quae collegit Geffcken, Hermes XLV 504. 505 et Sen. Controv. I 2.

episcopi sub imperio Iuliani martyrio: ἐπεὶ δὲ ἄπαν τὸ σῶμα τραυματίας ἐγένετο, ἔτι δὲ ὄμως ἐνέπνεε, μέλιτι καὶ γάρῳ ἀλείψαντες αὐτὸν καὶ σαργάνῃ ἐμβalόντες (πλέγμα δὲ τοῦτο δλόσχοινον) εἰς ὕψος ἤραν· ἡνίκα δὴ λέγεται σφηκῶν καὶ μελισσῶν ἐφιπταμένων αὐτῷ καὶ τὰς σάρκας κατεσθιουσῶν . . . εἶπειν; de veritate suspicio augetur, quod idem supplicii genus Apuleius Met. VIII 22 luxuriantia sua eloquentia usus enarrat et Aelianus (apud Suid. s. v. Ἐπίκουρος) narrat a Lyctiis pulsos esse Epicureos; si quis reverti audeat, δεδέσθω ἐν κύφῳ πρὸς τῷ ἀρχαίῳ ἡμερῶν εἴκοσιν ἐπιρροόμενος μέλιτι γυμνὸς καὶ γάλακτι, ἕνά τῃ μelleταις καὶ μυταῖς δεῖπνον καὶ ἀναλώσωσι χρόνῳ τῷ προειρημένῳ αὐτόν.

Etiam quod in Moschi Prato 167 abbas Poemen a canibus discerptus esse fertur, potest ex antiquis de mortibus clarorum virorum fabulis repetitum esse: cf. Hertz p. 328 s. et A. Marx, Griech. Märchen von dankbaren Tieren p. 83. 84. — Phalaridis taurus in Pelagiae Martyrium (c. 16 p. 26, 18 Usener) transiit.

Daemones in fabulis saepe homines castigant et verberant: servus Libys qui nummos Pelichi herois statuae oblatos furatus est, singulis noctibus ita a statua reviviscente flagellatur ut vibices in corpore eius appareant, brevi pereat (Luciani Philopseudes 19. 20)¹⁾. de Mityis statuae ultione fabulam tradunt Arist. A. P. 9, Plut. De sera numinis vindicta 8 (cf. Rohde, Psyche³ I 194). — vir fortis, qui strigas pellere ausus erat reversus se proiecit in tectum, et corpus totum lividum habebat quasi flagellis caesus, quia scilicet illum tetigerat mala manus, et post paucos dies phreneticus periit (Petronius c. 63). similia collegit Radermacher, Festschrift für Gomperz p. 197 ss.²⁾. digna est, quae conferatur, historia ab Hippolyto (Eus. Hist. eccl. V 28, 8 ss.) enarrata: Natalis confessor haeresi infectus ab ecclesia secesserat. misericordis dei gratia saepe somniis admonebatur, ut ab errore discederet. tandem, cum visiones sperneret, ὑπὸ ἀγίων ἀγγέλων ἐμαστιγώθη δι' ὅλης τῆς νυκτὸς οὐ μικρῶς ἀκισθθεῖς. sic

1) Cf. Crane l. c. p. 115. 255. ²⁷⁶ Quod Pelichus efficit, ut fur noctu, quasi in Labyrintho in aula circumvagetur neque exitum invenire possit, hoc quoque saepius in fabulis Christianis ut furti poena narratur. duo exempla commemorat Bernoulli, Die Heiligen der Merowinger, Tüb. 1900 p. 249. 251. cf. etiam Hier., V. Hilarionis c. 12, Hist. Aeg. monachorum VI 2 p. 30 Preuschen, VIII 26 p. 40, XI 2 p. 54, Antonii V. Symeonis 31 p. 72 Lietzmann, Ioannis episcopi Ephesi Comm. latine verterunt Douwen et Land, Amstelodami 1889 c. 2 p. 9, 4 p. 29. 30, 23 p. 107.

2) Cf. Aristophanis Aves 1491, Chamaeleontem apud Athen. XI 461, C χαλεποὺς γὰρ καὶ πλήγτας τοὺς ἥρωας νομίζουσι καὶ μᾶλλον νύκτωρ ἢ καθ' ἡμέρας et quae contulit Crusius l. c. p. 92.

scripsi Lobin II
197

Banet. 1001C,
III. 422n° 252
FFlatin n° 54, 75

commovetur, ut in ecclesia errorem deprecetur et poenitentiam agat; et ostendit τὸς μάλωπας ἔν εἰλήφει πληγῶν. et sanctus Moses Aethiops ita vapulavit a diabolo, ut pro mortuo iaceret et per annum aegrotaret (Palladius, Hist. Laus. 19 p. 61 Butler)¹). atque hic idem ferendum est iudicium atque supra p. 17 de pellis caprinae volatu. non scriptores christiani fabulam e libris depromptam ad viros sanctas transtulerunt, sed homines christiani, magnam partem eisdem superstitionibus imbuti atque pagani, eandem daemonum vel angelorum potestatem credentes similia experiebantur, patiebantur, narrabant, credebant.

Multae narrabantur historiae similes, etiam a christianis, de eis qui vel mortui sed vitae restituti vel feбри aut ecstasi correpti inferorum sedes viderant et de fatiis mortuorum homines certiores fecerant. Heraclides Ponticus, ut demonstraret notitiam fatorum, quae mortui experirentur, non negatam esse hominibus, narraverat (Proclus in Remp. II p. 119 Kroll) Empedotimo, cum venans relictus esset a sodalibus, meridie apparuisse Plutonem et Proserpinam, et divina luce collustratum eum vera fata animarum vidisse. ex hoc fonte fluxerunt²), quae eadem plane ratione Eucrates Lucianus (Philopseudes c. 22 ss.) se expertum esse testatur; is paulo accuratius quae Proclus nimis contraxit refert, vidisse se Pyriphlegontem, lacum, Cerberum, mortuos, inter eos etiam familiares quasdam animas in asphodelo cubantes et inter se colloquentes.

Similia Sulpicius in Vitae Martini c. 7 narrat de adolescente a viro sancto e morte suscitato; is referre erat solitus se corpore exutum *ad tribunal iudicis ductum deputandumque obscuris locis et vulgaribus turbis tristem excepisse sententiam. tum per duos angelos iudici fuisse suggestum, hunc esse pro quo Martinus oraret*³); ita per

1) Cf. etiam Hist. Aegypti monachorum I 40 ss. p. 15 s. Preuschen.

2) De hac fabula et de tota hac parte commentationis meae comparata velim quae l. c. p. 7¹ collegi. similem fabulam iam adhibuit Plato Eris mythum enarrans, at fabulam illam ita cum sua eschatologia et cosmologia coniunxit, ut restitui in integrum non possit. Ut in omnibus his fabulis qui apud inferos fuerunt testes et nuntii quae viderunt hominibus aperiunt et ut talibus historiis viri litterati probant esse, qui certa de fatiis animae, quae post mortem instent, referre poterint (Proclus II 119, 18—20 οὗτε τὸ θείας ἀληθείας τυχεῖν ἀδύνατον ψυχὴν ἀνθρώπινην τῶν ἐν Ἄδου πραγμάτων καὶ ἀγγεῖλαι τοῖς ἀνθρώποις), sic initio Apocalypsis Petri legimus: ἐδεήθημεν ὅπως δείξῃ ἡμῖν ἕνα τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν δικαίων τῶν ἐξελεθόντων ἀπὸ τοῦ κόσμου ἵνα ἴδωμεν ποταποὶ εἰσι τὴν μορφὴν καὶ θαρσύναντες παραθαρσύνωμεν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἡμῶν ἀνθρώπους.

3) Cf. Acta Nerei et Achillei p. 12, 17. 18 Achelis, Moschi Pratum c. 44.

eosdem angelos se iussum reduci et Martino redditum vitaeque pristinae restitutum.

m. 176

De aegrotis qui per errorem a satellitibus Orci ad iudicium divinum ducuntur, errore cognito dimittuntur et in vitam redeunt, similia et a Plutarcho Luciano et ab Augustino, Gregorio Cappadoce narrari iam Rohde (*Psyche* II 363³), Radermacher (l. c. p. 204 et *M. Rh.* LX 306), Reitzenstein (*Wundererzählungen* p. 6), Delehaye (l. c. p. 210) ostenderunt. narrantur autem tales fabulae non modo, ut curiositati inani volgi indulgeatur, sed etiam ut homines bonorum post mortem beatitudinem, malorum poenas non nescientes, iam non fluctuantes sed sortem suam exploratam habentes discant iustitiam moniti et non temnere divos¹). huic morum emendationi iam Platonis mythi inserviunt; hoc docet etiam Thespesii fabula exeunte libro *De sera numinis vindicta* a Plutarcho e variis elementis composita: homo perditus et lasciviae deditus oraculum accepit divinum, ὅτι βιώσεται βέλτιον ἢν ἀποθάνῃ. quod quid sibi velit primum nesciens et minus curans, iam discit, postquam quasi mortuus ad inferos latus est. nam eis quae ibi expertus est movetur, ut redivivus novae vitae viam ineat, virtutis et iustitiae studiosus. sic Naumachio teste (apud Proclum II p. 115) Eurynus quidam quasi mortuus redivivus narrabat ὅτι πολλὰ μὲν ἴδοι καὶ ἀκούσειεν ὑπὸ γῆς θανάσιμα, κελευσθήναι δὲ πάντα ἄρρητα φυλάττειν (cf. Plato, *Resp.* X p. 614d). quid docere velit fabula, cognoscimus, cum additur: καὶ ἐπιβιδῶναι χρόνον οὐκ ὀλίγον καὶ ὀφθῆναι δικαιοτέρον μετὰ τὴν ἀναβλώσιν ἢ πρότερον.

Docent igitur hae fabulae, quod in Lucae Evangelio fratres suos doceri vult dives ille, cum apud inferos a patre Abraamo petit, ut Lazarum nuntium mittat ad familiam suam: ἔχω γὰρ πέντε ἀδελφούς· ὅπως διαμαρτύρηται αὐτοῖς, ἵνα μὴ καὶ αὐτοὶ ἔλθωσιν εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς βασάνου. e christianorum narratiunculis similiter homines sorte mortuorum monstrata monentibus unam eamque pulcherrimam proponam, in Leontii Vita Ioannis c. 22 p. 40—42 Gelzer traditam: prope divitis domum pauperes de avaritia eius queruntur nemini stipem conferentis. unus ex eis sponzionem facit profitens se stipem ab eo nancturum esse. cum domui appropinquat, fortuito equus panibus onustus intrat. mendicantem aspiciens dives simul iratus unum e panibus in pauperis os conicit. duobus diebus post in gravissimum morbum incidit et videtur sibi ad dei tribunal citari. in trutiniae unam lancem magis magisque

Λαζάρου Β, 250000.

1) Cf. *Hist. Aegypti monach.* XI 18 ss. p. 59 Preuschen.

humum vergentem conferunt daemones mala eius facinora. Iugent boni angeli in altera parte adstantes. tandem unus ex eis panem illum in altera lance ponit; statim utraque exaequatur. monetur dives, ut uni illi beneficio plura addat, ne olim a daemonibus comprehendatur. καὶ τοῦ λοιποῦ οὕτως ἐσωφρόνησεν καὶ ἐγένετο ἄκρος ἐλεήμων, ὡς οὐδὲ τοῦ ἰδίου σώματος φείσασθαι αὐτόν¹).

Tenemus hic exempla fabularum, quae facile ex isdem opinionibus penitus animis hominum insitis oriri et fortuito similitudinis quandam speciem, sive ab hominibus veteri religioni addictis sive a christianis inventae, prae se ferre poterant. magis miror ethnicorum et christianorum in lepidissima quadam historia consensum, quem ut explicemus statuendum videtur ex uno fonte varios rivulos derivatos esse. Clearcho teste (apud Proclum II 114) Cleonymum adulescentem die funeris mater ultimum amplexans sentit adhuc spirare. reviviscit paulatim filius et narrat quae viderat anima corporis vinculis liberata: secundum Hestiae sacrum alii homini occurrerat. καὶ δὴ καὶ ὄραν ἄμφω ψυχῶν ἐκεῖ κολάσεις τε καὶ κρίσεις καὶ τὰς ἀεὶ καθαιρούμενας καὶ τὰς τούτων ἐπισκόπους Εὐμενίδας. abire iussi homines nomina profitentur, amici fiunt, inter se promittunt se redivivos amicitiam redintegraturos esse. et promisso stans postea Lysias Syracusanus Cleonymum Athenis adire vult; statim uterque alterum agnoscit.

Hinc explicatur narratiuncula iusto brevius ab Augustino (Civ. dei) XXII 28 tradita; quam, quod quidem sciam, adhuc frustra viri docti interpretari conati sunt: *Labeo etiam duos dicit uno die fuisse defunctos et occurrisse invicem in quodam compito, deinde ad corpora sua iussos fuisse remeare (κελευσθῆναι ἀποχωρεῖν Procl.) et constituuisse inter se amicos esse victuros, atque ita esse factum, donec postea morerentur.* ad eandem narrationem rettulerim versus politicos a Michaele Ephesio (Comm. in Arist. XXII 1 p. 24, 24 cf. quae exposui Comm. in Arist. V 6 p. IX¹) traditos: δύο ψυχὰ ἐξήρχοντο καὶ μία πρὸς <τὴν> ἄλλην ἔλεγε, ποῖ πορευτέον.

Ut in his fabellis animae corpore exutae amicitiam contrahunt, ad sua corpora reversae redintegrant, ita in aliis homines primum se visunt in somniis, postea se agnoscunt vigiles. in Apulei Met. XI 6 somnianti Lucio Isis apparet et ei describit sacerdotem roseam coronam in pompa gestantem, iubet Lucium postridie ei appropinquare, rosas illas edere, ut in hominis figuram reformetur.

† 1) Cf. etiam historias in Actis Thomae 22—24 p. 135 ss. Bonnet 54—57 p. 171 ss. relatas et Lipsium l. c. I 424. 425. 619, Moschi Pratum 26. 130, Crane p. 121. 122.

est, ne talibus superstitionum similitudinibus abutamur neve nimis confidenter statuamus Christi in aqua ambulantis vel daemones pellentis virtutes a miraculis magorum translatas esse. immo scaturit in Evangeliiis illis fons limpidiissimus recentium historiarum, efflorescit ars popularis narrandi. quod ut negemus minime impellimur cognatione christianarum quarundam cum ethnicis narrationum. cognatio enim illa ea est quae explicetur aptissime inde, quod eisdem superstitionibus imbuta mens similia experitur, gignit, credit miracula. exstant monachorum Aegyptiorum lucrantium cum daemonibus historiae permultae partim historiarum evangelicarum persimiles. qua tamen similitudine minime commoveor, ne de fide historiarum illarum quidquam detraham aut negem talia illos expertos esse; pleraeque enim illorum fontium historiae ex ipso sanctorum virorum ore exceptae sunt. interdum mira similitudo inde explicatur, quod consentaneum est, monachorum nonnullos, qui diligentissime sanctae scripturae studiis incumbabant, illius similia miracula expertos esse.

At aliter res se fere habet in apocryphis et Evangeliiis et apostolorum Actis, etiam in eis Sanctorum vitis, de quibus aequalium nulla vel pauca exstabant testimonia. horum virorum cum plenas vitas efficere vellent, nonnulli homines suo arbitrio res gestas et miracula fingebant vel de aliis narrata e libidine in suos sanctos viros gloriae eorum augendae causa transferebant. in qua effingendi et exornandi opera ne profanas quidem fabulas spretas esse exemplis quibusdam nuper Radermacherus ostendit, quibus alia adicere licet.

Postremum hoc vos, commilitones, monitos velim: scitis florere nunc varias comparandi disciplinas, quae non ad linguas modo, sed etiam ad mores, ius, religiones atque superstitiones pertinent. unde multum lucis affulsisse morum, iuris, religionum cognitioni nemo iure negaverit. tamen cavendum est ne quis vestrum putet posse quemquam adolescentem, ut philologiae, historiae, ita talibus potissimum comparandi studiis incumbere. neque enim est horum studiorum firmum ac solidum fundamentum nisi philologia. philologi singularum nationum litteras investigantes plurimum historiae religionum profuerunt. philologiae igitur primum, Indicae vel Graecae vel ei quae libros christianos interpretatur, operam dare debet, qui aliquid in historia religionum indaganda proficere vult. plurimum fructus ex comparatione diversarum gentium redundavit. at sunt etiam, quos comparandi libido a recta via atque cauta ratione diduxerit varietates atque proprietates nationum non curantes, lupinos pro aere praebentes, cibum simplicem ac sobrium prae

satura lance fastidientes. et ut nunc plurimi aestimatur ratio
diversas nationes in comparationem vocandi, ita magis quam par
est a multis ea comparandi ratio negligitur, quae artioribus finibus
unius gentis et linguae continetur. his angustioribus finibus con-
strictis, commilitones carissimi, licet sanam comparandi rationem,
qua nulla scientia carere potest, discere, antequam in latiore
campum evagemini. quod quia mihi persuasi, operae pretium
visum est ostendere, quantum valeat haec modestior comparatio
ad litterarum formas, mores, superstitiones accuratius cogno-
scendas.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

WILH. FR. KAESTNER.



